



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

125. De eleuatione Sanctae Cunerae Virginis petentibus Renensibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

## De eleuatione Sanctæ Cuneræ Virginis petentibus Rhenensibus.



Willibrord. Dei & SS. cum eo regnantium gloriae promouendæ intentissimus, ipsa D. Cuneræ Virginis in Rhenensi territorij Ultraiectini oppido Martyrio affectæ & humatæ Ciuium rogatu eleuata in decentiorem locum transfert cultuique exponit anno Christi 723. iuxta calculum Rosweidæ.

De Cunera item Molanus in natalibus SS. Belgij ad 12. Iunij. In oppido Rhenensi S. Cuneræ Virginis & Martyris. Ipsa de numero vndecim millium Virginum legitur superstes fuisse: Sed postmodum per Reginam Rheni eiusque pedissequam, strangulata manu tergio, quod in Rhenensi Ecclesia est conseruatum. Eam multis miraculis gloriosam Rhenenses memorantur per B. Willibrord. transferri petiuisse, idque præmissis fide dignorum testimonijs cum gaudio eum fecisse die 12. Iunij.

Natalis eius notatur in Martyrologio Ultraiectensi in die Simonis & Iudæ, sed propter Festum Apostolorum & molestias hyemis, solennius recolitur in Iunio, cum maximo hominum concursu. Inuocatur autem peculiariter, quia strangulata fuit, contra inflationem & dolorem gutturis.

De eadem idem ad 12. Iunij: in oppido Rhenensi eleuatio S. Cuneræ Virginis & Martyris.

Obserua hic antiquum morem Ecclesiæ etiam Batauicæ in tractandis SS. Corporibus, ea de terra eleuare, transferre



456 DE PRIMIS VETERIS FRISIÆ APOSTOLIS  
ferre, decentiori loco collocare, honorare. vide quan-  
tum studium Ciuium Rhenensium in suo incola vt illa fi-  
erent flagitantium & Præsulem exequentem.

D I S S E R T A T I O C X X V I.

De ordinatione Bonifacij in Episcopum,  
Eius transnominatione : remissione  
in Germaniam cum com-  
mendatitijs ad C.  
Martellum.

**G**regorius eius nominis Pontifex secundus vbi  
inaudiuit Winfridum in Germanica vinea stre-  
nuè, fructuosè & Religiosè laborantē, vt in idem  
opus eundem maiori auctoritate fulciret, per  
litteras Romam euocatum Episcopum sine cer-  
to titulo certaue sine sede cum ordinar, præiura tamen  
exploratione doctrinæ eius iuxta morem veteris Ecclesiæ  
qui etiamnum durat erga eos qui ad Episcopalem apicem  
sunt prouehendi. Æquissimum enim est, vt qui esse de-  
bent fidei Christianæ Magistri, Custodes & amplificato-  
res, ijeam habent quam optimam & syncerissimam. Ne-  
que enim lupinam feritatem habere debet Pastor : neque  
discipulorum imperitiam ac ruditatem Doctor.

In ordinatione Pontifex ei & nomen mutauit, vt de-  
inceps Bonifacius appellaretur qui antea Winfrid aut  
Winfridus. De qua nominum immutatione supra disser-  
tatione 67.

Consecratus autem est pridie Kalendarum Decem-  
brium